

---

PHAEDRI  
LIBER TERTIVS.

---

*PROLOGVS AD EVTYCHVM.*

**P**haedri libellos legere si desideras,  
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,  
Ut liber animus sentiat vim carminis.  
Verum, inquit, tanti non est ingenium tuum,  
Momentum ut horae pereat officiis meis.  
Non ergo causa est manibus id tangi tuis,  
Quod occupatis auribus non conuenit.  
Fortasse dices: Aliquae venient feriae,  
Quae me soluto pectore ad studium vocent,  
Legesne, quaeſo, potius viles naenias?  
Impendas curam quam rei domesticae,  
Reddas amicis tempora, vxori vaces,  
Animum relaxes, otium des corpori,  
Ut adſuetam fortius praestes vicem.  
Mutandum tibi propositum est, et vitae genus,  
Intrare ſi Musarum limen cogitas.

Ego,

Ego, quem Pierio mater enixa est iugo,  
In quo tonanti sancta Mnemosyne loui,  
Fecunda nouies, artium peperit chorum,  
Quamuis in ipsa natus sim paene schola, 20  
Curamque habendi penitus corde eraserim,  
Et laude inuita vitam in hanc incubuerim,  
Fastidiose tamen in coetum recipior.  
Quid credis illi accidere, qui magnas opes  
Exaggerare quaerit omni vigilia, 25  
Docto labori dulce paeponens lucrum?  
Sed iam, quod cumque fuerit (vt dixit Sinon,  
Ad regem cum Dardaniae perductus foret)  
Librum exarabo tertium Aesopi stilo,  
Honori et meritis dedicans illum tuis. 30  
Quem si leges, laetabor; sin autem minus,  
Habebunt certe, quo se oblectent, posteri.  
Hunc, fabularum cur sit inuentum genus,  
Breui docebo. Seruitus obnoxia  
Quia, quae volebat, non audebat dicere, 35  
Adfectus proprios in fabellas transtulit,  
Calumniamque factis elusit iocis,  
Ego porro illius semitam feci viam,  
Et cogitaui plura, quam reliquerat,  
In calamitatem deligens quaedam meam. 40  
Quod si accusator aliis Seiano foret,  
Si testis alias, iudex alias denique:  
Dignum faterer esse me tantis malis,  
Nec his dolorem delenirem remediis.  
Suspitione si quis errabit sua, 45  
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium:  
Stulte nudabit animi conscientiam.

Huic excusatum me velim nihilo minus.  
 Neque enim notare singulos mens est mihi,  
 Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.

Rem me professum dicet fors aliquis grauem.  
 Si Phryx Aesopus potuit, si Anacharsis Scythæ  
 Aeternam famam condere ingenio suo:  
 Ego, litteratae qui sum propior Graeciae,  
 Cur somno inertî deseram patriae decus?  
 Threissa cum gêns numeret auctores suos,  
 Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,  
 Qui laxa cantu mouit, et domuit feras,  
 Hebreique tenuit impetus dulci mora,  
 Ergo hinc abesto, liuor, ne frustrâ gemas:  
 Quoniam sollemnisi mihi debetur gloria.  
 Induxi te ad legendum: sincerum mihi,  
 Candore noto, reddas iudicium, peto,

1. *Phaedri.*] Hoc est, meos libellos.

2. *Eutychè.*] Fabric. in bibl. lat. Vol. I. cap. 3. pag. 317. illum intelligit Eutychum, qui Caligulae gratius eiusque auriga fuit, in Claudij tempora superstes, de quo Ioseph Lib. XIX. antiqu. cap. 4. (non 3 vt Fabric.) Sed cum pluribus hoc nomen libertis datum fuerit, et Phaedrus sub Tiberio scripsérit, non sub Caligula, vt illi persuasum fuit, nihil pro certo adfirmari potest.

3. *A negotiis.*] Non tam publici officii, quam priuati quaestus. Nam nomen Graecum Eutychi, libertinum fuisse hominem, indicat.

4. *Inquit.*] Al. *inquis.* Sed *inquit* in veteri codice scriptum fuit, quod saepe pro *inquis*, et *inquiunt*

*quiunt etiam, ponitur. Vid. Gronou, ad Liu.  
lib. XXXIII. c. 3. Subintelligitur enim aliquis.*

*5. Officis meis.] Scripti; officii mei, ingrata genitiorum cumulatione,*

*12. Reddas amicis tempora.] Vaces audiendis amicis, negotia sua tibi commandantibus, vel consilium expertentibus. Singularis locutio.*

*14. Adjuetam fortius praefestes vicem.] Officia et munera, post datam corpori quietem, obeunda. Heinlius, perficit vicem, scil. corpus, cuius exemplum desiderat Burmannus.*

*19. Atrium chororum.] Ita Musas dici, quae arietum sunt magistrae, rarum, ac fortasse singulare.*

*20. Quamvis in ipsa natus sim paene schola.] Ultima vocis paene producitur positione, quia sequens schola a duplice consonante incipit. Hoc licitum et familiare poëtis esse, innumeris exemplis probari potest. Schola hic est doctrinae parentis et magistra Graecia, eiusque pars illa, quae Musarum patria credita fuit, in Macedoniae et Thraciae confiniis,*

*22. Et laude iniuita vitam in hanc incubuerim.] Vulg. Et laude iniuita in hanc vitam incubuerim. Ne vero versus labore, Prafchius transpositione opus esse duxit. Supereft tamen aliud vlcus. Quid enim est laude iniuita? Gronouius substituit laude muda, id est, solo laudis amore; alius laude insueta, Heinlius. Nec laude iniuita vitam in hanc incubuerim, quod Burm, pree aliis placet.*

*26. Docto labore.] Doctos ait dictos Burmannus. Graecae linguae et artium Graecarum studiosos, et doctum inde laborem, Graecorum aemulatione suscepimus.*

*29. Aesopi stilo.] Genere scribendi, quo Aesopus usus est.*

*36. Affectus proprios.] Sensus animi sui quicquid animo suo sentiebat.*

38. *Ego porro illius semitam feci viam.] Codices, Ego illius porro semita. In Remensi non porro sed po fuit, quod pro legit Gudius, probante Bentleio, et Burmanno. Semita est, qua singuli ingrediuntur, via, qua plures. Semita Aesopi itaque significat genus eius scribendi, angustis terminis et paucis fictisque fabulis contentum, cui multa Phaedrus adiecit, facta ac vera. Quam vero lectionem damus, Burmanno p[re] altera seruanda videtur; vulgaris, quam Gronouius exhibet, syllaba redundat.*

45. *Suspicio[n]e.] Secunda syllaba producitur. Vid. Fabri thes. Gesner. et infra fab. X. 36.*

51. *Fors aliquis grauem.] Scripti, forsan aliquis, turbato metro. Heins. et Bentl. forsan quis.*

52. *Si Phryx Aesopus potuit, si Anacharsis Scytha.] Codices corruptam lectionem habent; Frige fuisse Aesopum Anacharsae Scythae; vel Frigem fuisse Aesopum si Anacharsae Scythae. Hinc factum, Si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scytha: postremum si a Grononio accessit, Bentleius coniicit:*

*Phrygibus si Aesopus potuit, si Anacharsis Scythis Aeternam famam condere ingenio suo.*

Anglus anon. *Phrygi licuit si Aesopo, si Anacharsis Scythae.*

59. *Hebreique.] Meurs. et Neucl[er]. Erebique, cui sequens impetus non conuenit.*

61. *Solennis.] Patriae meae iam solita.*

#### FAB. I.

#### ANVS AD AMPHORAM.

Anus iacere videt epotam amphoram,  
Adhuc, Falerna faece, e testa nobili,  
Odorem quae iucundum late spargeret.  
Hunc postquam totis auida traxit naribus;

5 O

O suavis anima, quale in te dicam bonum      5  
 Antehac fuisse, tales cum sint reliquiae?  
 Hoc quo pertineat, dicet, qui me nouerit.

2. *Adbuc, Falerna faece, e testa nobili.] Vulgo et testa, vnde Gudius e testa, Bentl. Falerna e faece et testa nobili; Heinlius Falernae faecis, testa e nobili.* Burmannus nobilem testam ob materiem vel locum dici existimat, vbi facta fuerat.

5. *Quale in te dicam bonum.] Vulgo: qualem te dicam bonam, quod nemini probatur docto. Nostra lectio Gudium habet auctorem. Burmanni coniectura est: Qualem dicam, et quam bonam Antehac fuisse? scil. animam. Quale te dicam bonum, quod iam Heinlio in mentem venerat, et Burmanno placet.*

7. *Qui me nouerit.] Burmannus ita fere interpretatur. Qui ingenium moresque meos nouerit, intelliget, quem hac fabula tangam. Nam ebriosae anus haec verba in senilem effetamque Tiberii Caesaris libidinem conueniunt, quae, exhaustis viribus, dum plena iam frui non potest obscena voluptate, eius tamen reliquiis vt cunque se oblectat.*

## FAB. II.

## PANTHERA ET PASTORES.

Solet a despectis par referri gratia.  
 Panthera imprudens olim in foueam decidit:  
 Videre agrestes; alii fustes congerunt,  
 Alii onerant saxis. Quidam contra miseriti,  
 Periturae quippe, quamuis nemo laederet,      5  
 Misere panem, ut sustineret spiritum.  
 Nox infecuta est, abeunt securi domum,  
Quasi

Quasi inuenturi mortuam postridie.  
 At illa, vires ut refecit languidas,  
 10 Veloci saltu fouea sese liberat,  
 Et in cubile coneito properat gradu.  
 Paucis diebus interpositis, prouolat,  
 Pecus trucidat, ipsos pastores necat,  
 Et, cuncta vastans, saeuit irato impetu.  
 15 Tum sibi timentes, qui ferae peperceraunt,  
 Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant.  
 At illa: memini, qui me saxo petierint,  
 Qui panem dederint: vos timere absistite,  
 Illis reuertor hostis, qui me laeserant.

1. *Sulet a despectis.]* Tiberium, Rhodi exsulan-  
 tem, et, postquam rediit, saeuientem in eos, a  
 quibus despectus fuerat, describi, cum Guieto  
 Burmannus existimat.

3. *Congerunt.]* Bentl. ingerunt. Latinis vero  
 illud etiam placuisse, multis auctoritatibus vincit  
 Burmannus,

4. *Alii onerant.]* Primus hic pes quatuor est  
 syllabarum, nisi *alii* dissyllabum sit: quorum alterum  
 vix concessum, alterum sine exemplo est.  
 Hinc Burmannus mauult, *illi onerant saxis*.

19. *Laeserant.]* Perott. *laeserunt*, quod et Bur-  
 mannus recipiendum putat, quia penultima pae-  
 teritorum poetae nostro, ut aliis, anceps est. Vid.  
 ad lib. IV. fab. XXI. v. 15.

FAB. III.  
 AESOPVS ET RVSTICVS.

Vsu peritus hariolo velocior  
 Vulgo esse fertur: causa sed non dicitur,

Note-

**LIBER TERTIVS.** 48

Notescat quae nunc primum fabella mea.

Habenti cuidam pecora pepererunt oves  
Agnos humano capite. Monstro exterritus, 5  
Ad consolendos currit maerens hariolos.

Hinc pertinere ad domini respondet caput.

Et auertendum victima periculum:

Ille autem adfirmat, coniugem esse adulteram,

Et insitios significari liberos; 10

Sed expiari posse maiori hostia.

Quid multa? variis dissident sententiis,

Hominisque curam cura maiore adgrauant.

Aesopus ibi stans, naris emunctae senex,

Natura nunquam verba cui potuit dare, 15

Si procurare vis ostentum, rustice,

Vxores, inquit, da tuis pastoribus.

1. *Velocior.*] Causam rei celerius reperit, sta-  
tim reni conjectura adsequitur. Alii *lagacior*, *fol-*  
*terior*, ex conjectura non necessaria.

14. *Aesopus ibi stans, naris emunctae senex.*] Pe-  
rottus:

*Aesopus ibi stans, narrare incipit,*

*Naturam nequaquam verba cuquam dare.*

Apparet, in priori versu Perottum veterem scri-  
pturam non adsecutum: in posteriori vero ab ea  
non multum aberrasse videtur, quam hanc fuisse  
credit Burmannus.

*Aesopis ibi stans, naris emunctae senex*

*Sciens, naturam verba nequaquam dare.*

In *senex* latere potuit, quae absorpta est, *vox*  
*sciens*; id est, qui sciuit, naturam non fallere,  
sed rerum, quas procreat, veras causas prodere.

FAB. IIII.

## SIMII CAPVT.

Pendere ad lanium quidam vidit simium  
 Inter teliqias merces, atque obsonia.  
 Quaesivit, quidnam saperet. Tum lanius iocans,  
 Quale, inquit, caput est, talis praefatur sapor.  
 Ridicule magis hoc dictum, quam vere, aestimo:  
 Quando et formosos saepe inueni pessimos,  
 Et, turpi facie, multos cognoui optimos.

4. *Quale, inquit, caput.]* Burmannus interpre-  
 tatur: *ut deforme est caput, ita et sapor est pessimus.*  
 Alii aliter, qui vero longius abeunt.

5. *Ridicule magis hoc dictum, quam vere, aestimo.]*  
 Gudius in MS. reperit: *Ridicule hoc dictum magis.*  
 Bentl. itaque legit: *Ridicule hoc dictum mage, quam*  
*vere, existimo.* Nam *aestimo*, hac significazione,  
 inferiores esse aetatis censet. Vindicat autem  
 Burmannus, et habet noster lib. IIII. fab. XVII. 15.

FAB. V.

## AESOPVS ET PETVLANS.

Successus ad perniciem multos deuocat.  
 Aesopo quidam petulans lapidem impegerat,  
 Tanto, inquit, melior. Assem deinde illi dedit,  
 Sic prosecutus: Plus non habeo mehercule,  
 Sed, vnde accipere possis, monstrabo tibi.  
 Venit ecce diues et potens; huic similiter  
 Impinge lapidem, et dignum accipies praemium.  
 Persuasus ille, fecit, quod monitus fuit.

Sed

Sed spes fefellit impudentem audaciam.  
Comprehensus namque poenas persoluit cruce. 10

3. *Tanto melior.*] Subintellige es. Formula probantibus alterius dictum aut factum. Vid. Vauast. de vi et vnu quorund. verbor. p. 598. Lips.

10. *Comprehensus.*] Tribus syllabis efferendum,

## FAB. VI.

## MUSCA ET MVL A.

Musca in temone sedit, et mulam increpans,  
Quam tarda es? inquit, non vis citius progredi?

Vide, dolone ne collum pungam tibi.  
Respondit illa: verbis non moueor tuis;  
Sed istum timeo, sella qui prima sedens  
Iugum flagello temperat lento meum,  
Et ora frenis continet spumantibus.  
Quapropter aufer friuolam insolentiam.  
Namque, vbi strigandum est, et vbi currendum  
scio.

Hac derideri fabula merito potest, 10  
Qui sine virtute vanas exerceat minas.

2. *Quam tarda es?*] Bentl. *quam tarde is?*

3. *Vide.*] Alii omnes: *Vide ne dolone collum compungam tibi.* Bentl. *dolone hoc.* Ita ultima verbū vide corripitur, quod Phaedri aetate minus receputum. Huius incommodi euitandi causa ordo verborum a Burmanno mutatus, et composito verbo *compungam* simplex succedere iussum est.

6. *Iugum flagello temperat.*] *Ora frenis temperantur, non iugum.* Bentl. maluit *tergum flagello temperat.* Burm. *iter vel cursum flagello temperat lento*

*mentime*

meum: quia Rimicius hic habet, loris flectit iter flagello excusso. Perottus *Ingum flagellans temperat collo meum*. Quae lectio, et si nostrae non multum praestat, quia in utraque obscurum est, quid sibi velit, temperare flagello, vel flagellantem, tamen *ingum omittenda non videtur*.

9. *Namque ubi strigandum.] Codices ubi tricandum.* Mutatum hoc in *strigandum* a Salmatio, suffragantibus plerisque editoribus. Bentleius tamen *tricandum* reuocat, versumque ita legit: *Namque ubi tricandum et ubi currendum sit, scio.* Respondet Burmannus, *tricari semper in malam partem accipi, ubi quis moras malitia quadam iniiciat.* In verbo *sit* assentior Bentleio: absorptum illud fuit a *scio*. Perottus hunc versum ita expressit *ubi sit tardandum et vitro currendum, scio.* De voce *tardandum* facile concedo Burmanno, cui pro minus nota *strigandum*, substituta videtur: cetera proba censeo, si legatur: *Vbi sit strigandum et vitro currendum, scio.* In vulgata certe est tolerari nequit.

## FAB. VII.

## CANIS ET LVPVS.

Quam dulcis sit libertas, breuiter proloquar.  
 Cani perpasto macie confectus lupus  
 Forte occurrerit: dein salutant in vicem:  
 Ut resisterunt, Vnde sic, quælo nites?  
 Aut quo cibo fecisti tantum corporis?  
 Ego qui sum longe fortior, pereo fame.  
 Canis simpliciter: eadem est conditio tibi,  
 Praestare domino si par officium potes.

Quod

Quod? inquit ille. Custos ut sis liminis,  
A furibus tuearis et noctu dopum. 10  
Ego vero sum paratus, nunc patior niues  
Imbresque, in siluis asperam vitam trahens,  
Quanto est facilius mihi, sub te<sup>c</sup>to viuere,  
Et otiosum largo satiare cibo?  
Veni ergo mecum. Dum procedunt, adspicit 15  
Lupus a catena collum detritum canis.  
Vnde hoc, amice? Nihil est. Dic, quae<sup>s</sup>o,  
tamen.

Quia videor acer, adligant me interdiu,  
Luce ut quiescam, et vigilem, nox cum venerit:  
Crepusculo solutus, qua visum est, vagor. 20  
Adfertur vltro panis: de mensa sua  
Dat ossa dominus: frusta iactat familia,  
Et, quod fastidit quisque, pulmentarium.  
Sie sine labore venter impletur meus.  
Age, si, quo est abire animus, est licentia 25  
Non plane est, inquit. Fruere, quae laudas,  
canis.  
Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

3. Forte occurrerit.] Vulgo. Forte occurrit: sa-  
lutantes dein inuicem. Inconci<sup>n</sup>ni numeri Bentleio  
suadent legere: Forte occurrerit. Dein salutans, in-  
uicem ut restiterunt. Vnde sic, quae<sup>s</sup>o, mites. An-  
glus, qui Bentleii emendationibus limam adhibuit,  
mauult occurrebat, quod praeteriti occurrerit exem-  
plum desideratur. Deinde salutant se inuicem le-  
git, quod Burmanno Latinum non esse videtur,  
se ideo delenti.

3. Dein salutant inuicem.] In MS. fuit, Forte  
occurrerit dein salutantes inuicem. Neuelet. dein in-  
uicem

*vicem salutantes.* Transposuere alii, *salutantes dein inuicem*, manente aliqua numeri inconciinitate, quam Bentl. et Burm. tolendam putarunt scribendo, *occucurrit et salutant.* Perott. *deinde salutati inuicem.* Si ergo *occucurrit non spensis, leges.*

*Forte occucurrit, dein salutati invicem.* Ut reſliterunt.

10. *Et noctu.] Noctu etiam.*

13. *Quanto est facilius.] Bentl. utilis. Sed facilis est, melius, commodius, quanto maiori in copia mihi licet sub testo agere?*

14. *Et otiosum.] Dicendum frisest otioso, propter michi, quod praecedit; quia vero sequitur largo cibo, maluit otiosum, vel otiose, quod Heins. Bentl. et Burm. etiam probat.*

16. *Canis.] Heins. et Bentl. cani. vtrumque recte. Ut Perott. confirmat.*

26. *Fruere quae laudas.] Perott. Fruere his, quae laudas.*

#### FAB. VIII.

#### FRATER ET SOROR.

Praecepto monitus, saepe te considera.

Habebat quidam filiam turpissimam,

Idemque insigni et pulchra facie filium.

Hi speculum, in cathedra matris ut positum fuit,

Pueriliter ludentes, forte inspexerant.

Hic se formosum iactat: illa irrascitur,

Nec gloriantis sustinet fratris iocos,

Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.

Ergo ad patrem decurrunt, laesura in vicem,

10 Magnaque inuidia criminatur filium,

Vir

*LIBFR TERTIVS.*

xi

Vir natus quod rem feminarum tetigerit.  
Amplexus ille vtrumque, et carpens oscula,  
Dulcemque in ambos caritatem partiens,  
Quotidie, inquit, speculo vos vti volo:  
Tu formam ne corrumpas nequitiae malis; 15  
Tu faciem vt istam moribus vincas bonis.

1. *Praecepto*] Bentl. *praecepto hoc.*

3. *Idemque insigni et pulchra facie filium.*] Bentl.  
*Itidemque ingenua et p. f. f.* Sed *ingenua facies non*  
*est pulchra magis, quam honesta ac liberalis, quae*  
*non semper est pulchra.* Perott. *insignem pulchra*  
*facie, vt Anglus emendator voluerat.*

4. *Vt positum fuit.*] MS. *Suppositum.* *Vt pos-*  
*tum est, vt temere, casu, forte in cathedra pos-*  
*tum erat a matre.* Bentleius rescribit: *Hi specu-*  
*lum in cathedra matris ut positum suae Pueriliter luden-*  
*tes forte inspexerant.* *Hi deest in cod.* Perott. qui  
*idem ut positum expressum habet.*

8. *Quid enim?*] Hac interrogatione vtuntur,  
quoties significare volunt, recte et iure aliquid dici  
vel fieri. *Quid enim id non faceret?* Non debe-  
bat itaque Bentleius id mutare in *quippe*.

9. *Decurrit.*] Sic MS. alii *cucurrit.*

15. *Tu formam ne corrumpas.*] Bentl. *hoc et*  
*sequenti versu te legit, vt respondeat praecedenti*  
*volo vos.* Sed in vulgata nihil reprehendi potest.

16. *Vincas bonis.*] Bentl. *penses.* *Sed damna et*  
*elades pensantur, non facies.*

FAB. VIII.

*SOCRATES AD AMICOS.*

*Vulgare amici nomen; sed rara est fides.*  
*Cum parvas aedes sibi fundasset Socrates,*

D 2

(Cuius

(Cuius non fugio mortem, si famam adse-  
quar,  
Et cedo inuidiae, dum modo absoluar cinis)  
¶ E populo sic, nescio quis, ut fieri solet:  
Quaeso, tam angustam, talis vir, ponis domum?  
Vtinam, inquit, veris hanc amicis impleam.

2. *Fundasset.*] Fundamenta domus iecisset. Hoc enim significat *fundare*, non exstruere. Idem est *ponere domum* v. 6.

FAB. X.

### POETA DE CREDERE ET NON CREDERE.

Periculosum est credere, et non credere.  
¶ Vtriusque exemplum breuiter exponam rei.  
Hippolytus obiit, quia nouercae creditum est.  
Cassandrae quia non creditum, ruit Ilium.  
¶ Ergo exploranda est veritas multum, prius  
Quam stulta prae*u*ta iudicet sententia.  
Sed fabulosam ne vetustatem eleuent,  
Narrabo tibi memoria quod factum est mea.  
Maritus quidam cum diligeret coniugem,  
¶ Togamque puram iam pararet filio;  
Seductus in secretum a liberto suo,  
Sperante, heredem suffici se proximum.  
Qui, cum de puero multa mentitus foret,  
Et plura de flagitiis castae mulieris,  
¶ Adiecit id, quod sentiebat maxime  
Doliturum amanti, ventitare adulterum,  
Stuproque turpi pollui famam domus.

Incen-

Incensus ille falso vxoris crimine,  
 Sitaulauit iter ad villam, clamque in oppido  
 Subsedit: deinde noctu, subito, ianuam 20  
 Intravit, recta cubiculum vxoris petens,  
 In quo dormire mater natum iusserat,  
 Aetatem adultam seruans diligentius.  
 Dum querunt lumen, dum concursant familia,  
 Irae furentis impetum non sustinens, 25  
 Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.  
 Ut sentit tonsum, gladio pectus transigit,  
 Nihil respiciens, dum dolorem vindicet.  
 Lucerna adlata, simul adspexit filium,  
 Sanctamque vxorem dormientem cubiculo, 30  
 Sopita primo quae nil somno senserat:  
 Repraesentauit in se poenam facinoris,  
 Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat.  
 Accusatores postularunt mulierem,  
 Romamque pertraxerunt ad centumuiros. 35  
 Maligna insolentem deprimit suspicio.  
 Quod bona possideat: stant patroni, fortiter  
 Causam tuentes innocentis feminae.  
 A diu Augusto tunc petiere iudices,  
 Ut adiuuaret iurisiurandi fidem, 40  
 Quod ipsos error implicuisse criminis.  
 Qui postquam tenebras dispulit calumniae,  
 Certumque fontem veritatis reperit,  
 Luat, inquit, poenas causa libertus mali.  
 Namque orbam nato, simul et priuatam viro, 45  
 Misericordiam potius, quam damnandam existimo.  
 Quod si damnanda perscrutatus crimina  
 Paterfamilias esset, si mendacium

Subtiliter limasset: a radicibus  
50 Non euertisset scelere funesto domum.

Nil spernat auris, nec tamen credat statim  
Quandoquidem et illi peccant, quos minime  
putes;

Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.

Hoc admonere simplices etiam potest,  
55 Opinione alterius ne quid ponderent.

Ambitio namque dissidens mortalium

Aut gratiae subscriptit, aut odio suo.

Erit ille notus, quem per te cognoveris.

Haec exsecutus sum propterea pluribus,  
60 Breuitate nimia quoniam quosdam offendimus.

2. *Exponam.*] Perott. ponam, quo recepto ex  
Burm. sententia ita legendum:

*Vtriusque breviter exemplum ponam rei.*

5. *Multum prius.*] Bentl. multo prius, quod frequentius: neque hoc contentus, reliqua etiam ita turbat: *Ergo exploranda est veritas multum et diu, Ne stulta prava iudicet sententia.* Multum prius autem suos etiam habet auctores, quos nominat. Burm. ad Quintil. VIII. 2. et Ouid. epist. XVIII. 71. Trist. V. II. 7. Perott. semper prius.

6. *Quam stulta prava.*] Perott. optime, quam stulta prava iudicet sententia.

7. *Sed fabulosam ne vetustatem eleuent.*] In MS. fuit *vetus* *statem*, vulgo. *Sed fabulosa ne veri* *stare* *eleuent*. Emendauit ita, vt legimus, Guietus, Gronou. et Burm. Bentleius *eleues*. *Sed eleuent* proprius est primae manui, scil. homines. *Eleuare* est minuere auctoritatem, fide dignum non putare.

11. *A liberto suo.*] Supple ex Perott. *a liberto est suo.*

12. *Suffici se.*] MS. *sufficisse*, corrupte.

13. *Qui cum.*] Al. dum, quod indicativum sibi in hac significatione iungit.

20. *Deinde noctu.*] Bentl. *dein de nocte*, quod tempus mediae noctis notare ait Burmannus, non illud, quod primo somno (de quo v. 31.) conueniat. Quodnam vero tempus intelligitur in illo Horatii? lib. I. ep. 2. v. 32.

*Vt iugulerent homines, surgunt de nocte latrones.*  
Nam et hi primo somno sopitos opprimunt. Quod tamen nos ideo moneo, vt hoc loco *de nocte* legatur.

21. *Cubiculum uxoris.*] Perott. *uxoris mutat in infelice.*

24. *Concursant familia.*] Ita iam Neueletus: alii *concursum* et Perott.

26. *Ad lectum accedit.*] Perott. *vadit*, quod impetum furentis irae magis exprimere videtur Burmanno.

29. *Adlata.*] Heins. et Burm. *illata*, quod frequentius.

35. *Pertraxerunt.*] Burm. *protraxerunt* aptius videtur.

40. *Adiuuaret iuris iurandi fidem.*] Ut suo iudicio sibi succureret, ne per imprudentiam male iudicarent, et iuriandum violarent. Bentl. *vt aduocarent iuris iurandi fidem*, reclamantibus aliis.

47. *Dannanda.*] Bentl. *cunctando*: Burm. *dannanda* suspicatur, i. e. ignoscenda, vel *delata*, quod in codice Perotti, ac verum est.

49. *Limasset.*] Post hoc verbum interpungendum, vt a radicibus euertisset coniungatur, non limasset a radicibus, vt in multis exemplaribus. *Limare mendacium*, Burmanni verbis, est, *craſſum et impudens mendacium subtili indagatione et examine, quasi lima quadam, deminuere, et corticem, quo velatur, detrahere.* Eidem tamen, vt plerisque aliis, suspecta haec lectio est.

54. *Simplices.*] Gallus interpres, les personnes les plus simples. Errat, *simplex* non est imprudens aut stolidus, sed apertus, expositus, non suspicax et fraudulentus, treherzig, der zu jedermann ein gutes Zutrauen hat,

## FAB. XI.

## EVNVCHVS AD IMPROBVM.

Eunuchus litigabat cum quodam improbo,  
Qui, super obſcenā dictā et petulans iurgium,  
Damnum insectatus est amissi corporis.  
En, ait, hoc vnum est, cur laborem validius,  
§ Integritatis testes quia desunt mihi.  
Sed quid fortunae, stulte, delictum arguis?  
Id demum est homini turpe, quod meruit pati.

## FAB. XII.

## PVLLVS AD MARGARITAM.

In sterculino pullus gallinaceus  
Dum quaerit escam, margaritam reperit.  
Iaces indigno, quanta res, inquit, loco!  
Te si quis pretii cupidus vidisset tui,  
§ Olim rediles ad splendorem maximum.

Ego

*LIBER TERTIVS.* 57

Ego qui te inueni, potior cui multo est cibus?  
Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potes.  
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

1. *In sterentino.*] Ita Gudius et Bentl. metri cau-  
sa, quod Burmannus probat.

4. *Te si quis.*] Vulg. o si quis: al. hoc si.

5. *Maximum.*] Pristinum est in Rimicio, et cod.  
Perott. quod nostro etiam restitutum volunt Ne-  
uel. Bentl. Burm.

6. *Ego qui te inueni.*] Qui Gudio et Burm. est  
aduerbiū, quomodo significans, cod. Perott. quod,  
pro quo?

7. *Nec tibi prodesse.*] Supple ad sensum possum,  
Zeugma.

FAB. X I Y,

*APES ET FVCI VESPA IVDICE.*

Apes in alta queru fecerant fauos;  
Hos fuci inertes esse dicebant suos,  
Lis ad forum deducta est, vespa iudice.  
Quae genus vtrumque nosset cum pulcherrime,  
Legem duabus hanc proposuit partibus. 5  
Non inconueniens corpus, et par est color,  
In dubium plane res ut merito venerit.  
Sed ne religio peccet imprudens mea,  
Aluos accipite, et ceris opus infundite,  
Ut ex sapore mellis, et forma faui, 10  
De quis nunc agitur, auctor horum appareat.  
Fuci recusant, apibus conditio placet.  
Tunc illa talem protulit sententiam:

D 5

Aper-

Apertum est, quis non possit, aut quis fecerit,  
15 Quapropter apibus fructum restituo suum.

Hanc praeterissim fabulam silentio,  
Si pactam fuci non recusassent fidem.

9. *Aluos.] Vulgo alueos, redundante syllaba  
MS. aluos.*

13. *Protulit sententiam.] Vulgo fistulit. Sed  
tollere sententiam a nemine Latinorum dictum con-  
stat, pro ferre. Gudius, Tunc lata lirem fistulit  
sententia, quod placet Burmanno. Bentl. Tunc  
illa hac lirem fistulit sententia. Heins. Tunc illa ta-  
lem in hos rulit sententiam. Sed praefat lectio cod.  
Perott. quam recepi.*

17. *Si pactam non recusassent fidem.] Si promissa  
seruassent, si mercedem exsoluisserent, qua condu-  
ctus versus illis scripseram, quibus tanquam suis  
vterentur. Bentl. mutat: Si legem fuci non recu-  
sassen datam.*

## FAB. XIXII.

## AESOPVS LVDENS.

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus  
Aesopum nucibus cum vidisset, restitit,  
Et quasi delirum risit. Quod sensit simul  
Derisor potius, quam deridendus senex,  
5 Arcum retensum posuit in media via:  
Heus, inquit, sapiens, expedi, qnid fecerim.  
Concurrit populus: ille se torquet diu,  
Nec quaectionis positae causam intelligit;  
Nouissime succumbit. Tum viator sophus:  
10 Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris.

At

At si laxaris, cum voles, erit vtilis.

Sic ludus animo debet aliquando dari,  
Ad cogitandum melior ut redeat tibi,

10. *Cito rumpes arcum.*] Bentl. *corrumpes arcum.*  
Sed *rumpes* est, rumpetur arcus, ac potius cornu  
arcus.

12. *Ludus.*] Al. *lusus debent*, ut saepius hae vo-  
ces inter se permutantur. *Lusus* proprie puerilis  
dicitur: *ludus* otium, quies, feriae, festus dies.

13. *Tibi.*] Bentl. *sibi*: Heins. *ut redeas tibi*,  
Burm. *tibi* ad populum refert circumstantem, ad  
quem sermo est Aesopo.

FAB. XV.

CANIS AD AGNVM.

Inter capellas agno balanti canis,  
Stulte, inquit, erras, non est hic mater tua:  
Ouesque segregatas ostendit procul.  
Non illam quaero, quae, cum libitum est, con-  
cipit,

Dein portat onus ignotum certis mensibus, 5  
Nouissime prolapsam effundit sarcinam;  
Verum illam, quae me nutrit admoto vbere,  
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.  
Tamen illa est potior, quae te peperit. Non  
ita est.

Vnde illa sciuit, niger, an albus nascerer? 10  
Age porro, scissi: cum crearer masculus,  
Beneficium magnum sane natali dedit,  
Ut exspectarem lanium in horas singulas.

Cuius

Cuius potestas nulla in gignendo fuit,  
 15 Cur hac sit potior, quae iacentis miserita est,  
 Dulcemque sponte praefat benevolentiam?  
 Facit parentes bonitas, non necessitas.

His demonstrare voluit auctor versibus.  
 Obsistere homines legibus, meritis capi,

1. *Balanti.]* Balatu matrem requirenti. Pra-schius et Bentl. *palanti.*

5. *Onus ignotum.]* Bentl. *opus ingratum.* Sed vt latens onus dixit Ouid. II. Amor. XIII. 20. et Senec. ep. CXXIII. ita recte noster *ignotum.*

9. *Tamen illa est potior.]* Romulus, vera mater: Rimicius verior. Itaque Burm. Phaedrum scripsisse putat: *Tamen illa est verior, quae peperit, electo te. vocem potior ex v. 15, huc tractam suspicatur.* Habet tamen Perott.

10. *Niger an albus.]* Nigrae oues, minus gratae, citius mactabantur. Significat igitur, matrem nescisse, utrum se vitae, an morti pareret.

11. *Beneficium.]* Metro timens Burm. cum Salmatio mauult: *Beneficium magnum sane nato dedit.*

13. *Exspectarem lanium.]* Masculi enim non facile feturae aluntur, sed lanio mactandi traduntur.

14. *Cuius potestas nulla in gignendo fuit.]* Haec non canis oratio est, vt Burmanno videtur, sed agni, adfirmantis, verae matris nullam potestatem fuisse in gignendo, quae nec colorem, nec sexum, quem vellet, sibi dare potuerit, et conceptum temere fetum, sibi ipsi ignotum, effuderit. Hanc ea potiorem esse negat, quae iacentis miserita sit, id est capellae. Sponte sibi praefatis benevolentiam, Atque ita nulla correctione opus, nec legendum est: *quod iacentis miserita est.* Hic enim demum verbis ab agno responderi, ille sibi persuasit.

## CICADA ET NOCTVA.

Humanitati qui se non accommodat,  
 Plerumque poenas oppetit superbiae.  
 Cicada acerbum noctuae conuicium  
 Faciebat, solitae victimum in tenebris quaerere,  
 Cauoque ramo capere somnum interdiu. 5  
 Rogata est, vt taceret. Multo validius  
 Clamare coepit. Rutsus admota prece,  
 Accensa magis est. Noctua, vt vidit, sibi  
 Nullum esse auxilium, et verba contemni sua,  
 Hac est adgressa garrulam fallacia. 10  
 Dormire quia me non sinunt cantus tui,  
 Sonare cithara quos putes Apollinem:  
 Potare est animus nectar, quod Pallas mihi  
 Nuper donauit; si non fastidis, veni,  
 Vna bibamus. Illa, quae ardebat siti, 15  
 Simul cognouit, vocem laudari suam,  
 Cupide aduolauit. Noctua, egressae cauo,  
 Trepidantem consecrata est, et leto dedit.  
 Sic, viua quod negarat, tribuit mortua.

5. *Cauoque ramo.]* Bentl. *Cauoque truncō*, quasi  
non etiam in cauo ramo sedem habere possint no-  
ctuae, quod agrestium pueri docere possent.

12. *Apollinem.]* Bentl. et alii, *citharam Apollinis*.  
Grietus, quem sequitur Burmannus, *Sonare cithara*  
quos putas Apollinem, i. e. tam egregios, vt ipsum  
Apollinem putas cantus cithara sua sonare.

13. *Nectar.]* In epulis deorum, quoties, subla-  
tis primis mensis, nectar apponitur, Apollo et  
Musae cithara deos potantes oblectare singuntur.

15. *Ar-*

15. *Ardebat.*] Perott. arebat quod visitatus.  
Virg. Ecl. 7. 57.

16. *Simil cognouit.*] Perott. gaudebat quod malo.

17. *Egressa e cauo.*] Vulg. egressa cauo, salua quidem Latinitate, sed turbato metro. Gudius coniicit egressam cauo, ut de cicada intelligatur.

## FAB. XVII.

## ARBORES IN DEORVM TVTEL A.

Olim, quas vellent esse in tutela sua,  
Diui legerunt arbores. Quercus loui,  
Et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea:  
Pinus Cybebae, populus celsa Hercul.

5 Minerua admirans, quare steriles sumerent,  
Interrogauit. Causam dixit Jupiter:  
Honorem fructu ne videamur vendere.  
At mehercules narrabit, quod quis voluerit;  
Oliua nobis propter fructum est gratior.

10 Tunc sic deorum genitor, atque hominum fator:  
O nata, merito sapiens dicere omnibus:  
Nisi vtile est, quod facimus, stulta est gloria.  
Nihil agere, quod non profit, fabella admonet,

4. *Cybebae.*] Ita legendum esse, non *Cybelae*,  
quae vox penultimam corripit, docuit Gudius.

5. *Honorem fructu.*] Al. *Honore fructum:* quod est, ne, si fertiles sumeremus, videamur fructus arborum vendere honore sacrificiorum. Hanc lectio nem Burmannus, olim sibi probatam, reputat, alteramque, quam damus, cum Rigaltio, Bentleio, et aliis, praefert. Sententia est: ne vide-

videamur honorem illum, quo arbores, in tute-  
lam lectas, ornamus, illis non gratis dare, sed  
vendere fructibus, quibus non frueremur, cum  
reuera iis minime indigeamus, aut vtatur.

8. At mehercules.] Vulgo mehercule, claudicante  
metro, vt putant. Sed et Anglus anonymus, vt  
timam vocis Hercule apud antiquos ancipitem fuisse,  
suspiciatur. Adde Vechner. hellenol. lib. I. part. I.  
c. 3. p. 35. Priscian. lib. VI. extr. p. 723. lib.  
VII. p. 730. Perott. mehercules etiam habet, vt  
recte receptum sit.

## FAB. XVIII.

## PAVO AD IVNONEM.

Pavo ad Iunonem venit, indigne ferens,  
Cantus luscinii quod sibi non tribuerit:  
Illum esse cunctis auribus admirabilem,  
Se derideri, simul ac vocem miserit.  
Tunc, consolandi gratia, dixit dea:  
Sed forma vincis, vincis magnitudine,  
Nitor zmaragdi collo prae fulget tuo,  
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.  
Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor  
sono?

Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae: 10  
Tibi forma, vires aquilae, luscino melos,  
Augurium coruo, laeva cornici omina,  
Omnes quae propriis sunt contentae dotibus,

Noli adfectare, quod tibi non est datum,  
Delusa ne spes ad querelam recidat. 15

3. Auribus.] Ita in MSS. esse, Gudius testatur.  
Timide tamen se hanc lectionem recipere testatur  
Bur-

Burmannus, vulgatae magis fauens *auibus*, quam  
et Bentl. tuetur. Perott. *auibus*.

7. *Nitor Zmaragdi.*] Ita Burm. cum veteribus,  
non *smaragdi*.

9. *Mutam speciem.*] *Mutae speciem* rectius legi  
videtur Burmanno.

13. *Doribus.*] Ita codex Perotti, non *vocibus*.

15. *Recidat.*] Prima longa, quia *re* in compo-  
sitione anceps.

## FAB. XVIII.

## AESOPVS AD GARRVLVM.

Aesopus domino, solus cum esset familia,  
Parare coenam iussus est maturius.  
Ignem ergo quaerens, aliquot lustravit domus,  
Tandemque inuenit, ubi lucernam accenderet,  
¶ Tum circueunti fuerat quod iter longius,  
Effecit breuius: namque recta per forum  
Coepit redire. Et quidam e turba garrulus:  
Aesope, medio sole, quid cum lumine?  
Hominem, inquit, quaeru, et abiit festinans  
domum.

10. Hoc si molestus ille ad animum retulit,  
Sensit profecto, se hominem non visum seni,  
Intempestiu qui occupato adluserit.

4. *Lucernam.*] *Lucerna* est, quae oleo alitur.  
Apul. III. Metam. p. 151. *Taedis, lucernis, cereis,*  
*sebaceis, et ceteris nocturni lumines instrumentis cla-*  
*rescent tenebrae.* Petron. c. 22. *Lucernae humore*  
*defectae.*

5. *Circueunti.*] Ita cum veteribus grammaticis  
scribit Burm.

10. Mo.

10. *Molestus.*] Qui molestus erat Aesopo, interpellator.

FAB. XX.

**ASINVS ET GALLI.**

Qui natus est infelix, non vitam modo  
Tristem decurrit; verum post obitum quoque  
Persequitur illum dura fati miseria.  
Galli Cybebes circum quaestus ducere  
Asinum solebant, baiulanten sarcinas,  
Is cum labore et plagis esset mortuus,  
Detracta pelle, sibi fecerunt tympana.  
Rogati mox a quodam, delicio suo  
Quidnam fecissent, hoc locuti sunt modo:  
Putabat se post mortem securum fore; 10  
Ecce aliae plagae congeruntur mortuo.

4. *Circum quaestus ducere.*] Heins. et Gudius emendant, in questus, Gronou. circum coetus, Bentl. circum pagos vel vicos. Burmanno circum absolute positum videtur, pro circum urbes. pagos et pro quaestus, legendum quaestum, pro quaestum, id est, ad quaestum: quamvis suae conjecturae nec ipse multum tribuat.

6. *Is.*] Bentl. huic.

7. *Detracta pelle.*] Burmannus suspicatur, detracta e pelle.

8. *Delicio suo quidnam fecissent.*] Al. Rogati mox a quodam delicio suo. Quidnam fecissent. Nostra vero distinctio, cuius auctor est Salmasius, placet Burmanno. Ordo verborum est, Quidnam fecissent delicio suo, i. e. asino. Delicio videtur esse sextus casus, subintellecto de.

Locuti, Heins. et Bentl. iocati.